Definitiones.

1. *Radii sunt lineæ rectæ, in quibus discurrunt corpuscula ignea, è corporibus lucidis ortum habentia.*

2. *Materia radians, est corpus opacum, & impolitum, corpuscula ignea reflectens, & aliquem illis præbens ingressum.*

3. *Color in oculum delatus, est tinctura corpusculorum igneorum, è materiâ radiante emergentium.*

4. *Visio fit receptione horum corpusculorum à materiâ radiante reflexorum, & colorem in oculum deferentium.*

5. *Radii unius puncti, sunt qui ab uno materiæ radiantis puncto reflectuntur.*

6. *Radii paralleli, sunt qui æqualiter semper a se invicem distant.*

7. *Radii divergentes, sunt qui utrinque producti concurrunt in punctum, ad partes motui contrarias; & vocantur hi radii conus radiosus, & punctum concursus apex coni.*

8. *Radii convergentes, sunt qui utrinque producti concurrunt ad partes motus, & vocantur penicillum, & punctum concursus apex penicilli.*

Notandum tamen, paralleliſmum, divergentiam, & convergentiam, applicari tantùm unius puncti radiis.

9. *Imago est similitudo materiæ radiantis, orta ex divergentiâ, vel convergentiâ radiorum, singulorum materiæ radiantis punctorum, a punctis singulis, vel ad puncta singula unius superficiei.*

10. *Imago ante oculum, oritur ex apicibus conorum radiosorum, singulorum materiæ radiantis punctorum, in unâ superficie congregatis.*

11. *Imago post oculum, oritur ex apicibus penicillorum, singulorum*